



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R.P. Clavdii Aqua-Vivae Societatis Iesv Præpositi
Generalis V. Meditationes In Psalm. 44. et 118**

Acquaviva, Claudio

Coloniæ Ubiorum, 1616

Societatis Iesv Patribvs.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50645](#)

SOCIETATIS IESV
PATRIBVS.

INTER cetera dona, quibus
Societatis nostræ Præpositus
Generalis pia memoria Clau-
dius Aquaviva diuinitus erat
ornatus (Patiens) excellebat,
quemadmodum multi vestrum nouere,
maximus erga res diuinæ affectus, &
quædam pietatis perpetua dulcedo, &
suavitatis quam nullæ unquam moles oc-
cupationum obiunderet, nulla temporum
varietas perturbaret. Hæc vero alebatur
eo continuis meditationibus, maxi-
mèq; excitabatur, & quasi efflorescebat,
dum quotidianum sacerdotalis psalmo-
dia officium prosolueret: quæd non modò
summa attentione exequebatur, sed ma-
gna etiam pulcherrimorum sensuum af-
fluentia, diuinis, que pronunciabat, ver-
bi aptissime congruentium. Ita oratio-
nem vocis iurgebat, & cordis; psallens
spiritu, ut monet Apostolus, psallens &
mente. Plurimum autem Psalmis dele-
ctaba-

P R A E F A T I O .

Et abatur, ac ceteris diuinæ Scripturæ locis, in quibus Christi Domini præstantissimarum laudum aliqua celebraretur. Incredibili enim erga Redemptorem nostrum caritate flagrabat: suauissimè in eum, & sensibus intimis afficiebatur: de comeditabatur assidue: &, ubi opportunitas ferret, summa cum sententiarum magnificantia, & verbis spirantibus, & quasi igneis loquebatur. Cui dum indulget animi sui flagrantissimo studio, etiam scripto cœpit adnotare quasdam meditationes, quas in Psalmum quadragesimum quartum, qui totus de Sponsi Christi laudibus est, interdum habuerat: ut subinde earum lectione memoriam sibi recricaret præteriorum cogitationum, & pietatis gustum renouaret, ac feruorem incenderet, tum præsertim, cum per morborum iam fatis frequentes tentationes, non ita, ut vellet, desigere mentem in contemplatione, & adhibere conatum posset. Cœpit postea etiam in Psalmum centesimum decimum octauum aliquid adnotare: dumque paulatim progreditur, prope totum absoluït. Nam cum in diuinæ legis prædicatione Psalmus ille omnis versetur,

P R A E F A T I O.

setur, & diebus singulis recitetur, tum ob
pulcritudinem suam, & subiecta mate-
ria utilitatem, tū ob quotidianum illum-
psum præcipua illa cura. & consideratio-
ne dignus visus est. Percepit ille, quan-
quā non longo tempore, tamē satis ubere
sui laboris fructū. Nāq, profitebatur post
eas meditationes haud paulò melius hora-
riā sibi psalmodiā succedere; dum quibus
insueuerat cogitationibus, earum aliqua
inter psallendum leuiore negotio, ac velut
sua sponte succurrit. Identidem quoque,
cum decumberet, alijq, temporibus cer-
tos ex ijs locos recitari sibi iubebat: idque,
quod de confessionibus suis S. Augustinus
affirmat, experiebatur, vt facilius & in-
tellectus, & affectus excitaretur in
Deum. Has ego Meditationes cum inter-
shedas tanti Patris reperiisse, tamē si
nec edendi consilio scriptas, sed tantum
vt suggerebat commotio spiritus, exara-
tas ab eo cursim jiebam; nec postea reco-
gnitas, vllaque styli cultura adhibita elab-
oratas, tamē apud Patres, Vicarium, &
Assistentes, qui tum erant, ac postea apud
nouum Præpositum, quem Deus nobis de-
dit, curandum putauit, vt vobiscum excu-
ſæ ty-

P R A E F A T I O .

sæ typis communicarentur , duplarem
maximè ob causam. Primum, quod vobis
periucundum sperabam fore , si haberetis
monumentum hoc tanti Viri , & quale-
cumque specimen p̄iissimæ eius mentis.
Deinde , quod etiam confidebam utile id
multis præsertim sacerdotibus fore subsi-
dium , ad sacerdotale precationis quoti-
dianæ pensum maiorem cum attentione,
suauitate spiritus , ac morum etiam pro-
fectu soluendum. Etenim quanquam (vt
dixi) Meditationes elaboratæ , ac perpoli-
tae non sunt , tamen (vt erat ille vir in-
genio , & iudicio maximo , & sacra-
rum literarum , vt in tantis occupationi-
bus , eruditione præcipua , quā & lingua-
rum notitia adiuuabat) pulcherrimos
continent sensus , doctrinam non vulga-
rem : & selectissimis subinde sanctorum
Patrum locis illuminantur : quos ille ma-
ximam partem ex pleno memoriae suæ
thesauro depromebat . Denique & stylus
& lingua Sanctorum est , nec elegantiam
grauem desiderans , & sanctitatem spi-
rans . Illud quidem commodiſſimè est fa-
ctum , vt pariter hi duo Psalmi coniunge-
rentur . Cū enim summa salutis , ac per-
fectio-

P R A E F A T I O.

fectionis humanae in amore diuino sit posita, & ad eum quasi per duas alas per actionem subuehamur, atque contemplationē; in altero Psalmo, qui sponsi Christi magnalia continet, pulcherrimam contemplationis materiam; in altero, qui legem commendat, efficacissimos ad actionem habemus stimulos. Et quia ipse Dominus ait, Si quis diligit me sermonem meum seruabit, dum in altero Psalmo ad Christi amorem accendimur, tacite alter ad mandatorū eius custodiam inuitat, ac mouet. Quæ nobis utraque perfectius in dies consequi, & inter se consociare summa bonitas donet. Valete. Roma 2. Decembris. 1615.

Bernardus de Angelis Secretarius
Societatis I E S V.

3

MEDI-